

ADNOTATIONES AD PROMETHEVM VINCTVM.

In dissertatione altera de choro Eumenidum Aeschyli p. IX. dixi, quum Olympiadis LXXV. anno secundo Aetna arserit, recente illius incendii memoria scriptum videri Prometheum propter vaticinium ea de re Promethei. Negavit ita esse Ernestus Schneiderus in indice lectionum hibernarum universitatis Vratislaviensis anni MDCCCXXIII. duabus de causis, quarum alteram, in ipsa fabulae indole positam, quod longiorem disputationem postularet, silentio praeteriens, de sola altera breviter exposuit. Illa prior quae sit fateor me divinare non posse. Alteram autem video bis perperam conclusa ratione contineri. Primo enim, quoniam Sophocles primus tres actores in scenam produxerit, certissimum esse censet, qua in fabula Aeschyli tres in scenam actores prodierint, eam post Olympiadis LXXVII. annum tertium, quo anno primum fabulas docuerit Sophocles, esse editam. Profecto: at quo auctore ostendet Sophoclem statim in prima fabularum commissione tribus usum esse actoribus? Itaque incertum manet, an etiam post Ol. LXXVII. 3. aliquot et Aeschyli et Sophoclis tragoediae duos tantum actores habuerint. Gravior est alter error. Nam in Prometheo statim in prima scena tres produci actores ait, qui Robur, Vulcanum, Prometheum agant: falli enim, si quis Prometheum personae loco numerandum neget: quid esse enim agere, si hoc non sit, acerbissimos cruciatus sine ulla doloris significatione perferre, neque amici et cognati misericordia aut inimici et servi contumelia frangi? At facile apparebit Promethei personam non ab actore aliquo agi potuisse, sed, quod etiam Welckerum in Trilogia coniecisse video, simulacrum, quod Promethei speciem haberet, in rupibus constitutum fuisse. Primum enim qui homo pedibus, manibus, lateribus ad saxa alligatus non solum immotus stare per totam fabulam, sed etiam vocem integram et vigentem conservare potuisset? Deinde ipsa species Promethei, qui vix aliter quam maxima parte corporis nudus conspici potuit, in vero homine cothurnis ceteroque ornatu carente exigua planeque indigna Titane visa esset spectatoribus. Porro, quod vel solum actori removendo satis est, cuneus